



De

DENUNTIATIONE SAGARUM

Dissertatio.

Quæ sint Magorum in rebus humanis vires, quæ Lamiarum, longa fuit omnium seculorum disputatio. Unde & poenæ modus, & quæ reliqua indè normam capiunt, Inquisitionis ac judiciorum ratio, Denuntiationum vel certa vel vana fides, ambiguitate sæpe sua non mediocriter exercuerunt homines literatos. Excitavit, fateor, ea res, omnis ævi viros eruditos, qui non obiter in curam omnis hujus negotii incubuere: Ex antiquis quidem Michaëlem Psellum, exactissimæ doctrinæ virum: è superioribus & proximis seculis, Nidderum, Sprengerum, Spinæum, & autores alios Mallei maleficarum, Bodinum, Remigium, Jacobum Angliæ Regem, Wierium, ac Martinum DelRio è Societate Jesu. Quando tamen nec sic quidè circa seculi hujus initia defuit, qui omnem Magicam artem eliminatum ivit, scriptis in eam rem septem libris integris: lamias autem nisi melancholicas mulieres, vel